Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Philosophia Aristotelica - Cod. Ettenheim-Münster 289

Aristoteles

[S.l.], [17. Jahrh.]

Questio prelimnarii de prima parte philosophia sive logica

urn:nbn:de:bsz:31-130062

Visual Library

nobilissimum à Philosopho exigit, et quia suo loco ac anno logica venit, ad hanc modo duce ac auspice Deo progrediamur.

Quaestio praeliminaris de prima parte Philosophiae sive Logica.

Logica seu Dialectica quae apud nos recepto habentur pro synonymis, originem suam teste Doctore Angelico in paradiso sumpsit, quae dein ab Adamo et Noemo ut ait Justinus martyr ad posteros propagata, postquam hominum ignavia, ut fieri solet, exolevit, à graecis quibusdam sapientibus praesertim Aristotele restituta, assumpsit etiam Apostolis, et Patribus ad confutandos haereses teste Sancto Augustino fuit usurpata.

Definiri autem potest brevissime logica, quod sit ars directiva operationum mentis; hoc est: Logica docet modum recte ratiocinandi, sive docet nos eligere bonos conceptus, cognitiones, operationes mentis, actus intellectus etc: quae omnia sunt synonima, et proprium obiectum ac materia, circa quam versatur Logica, sunt suae artis v.g. lignarii, obiectum vel materia circa quam versatur, est lignum, militaris sunt arma, gladiatoria gladius etc. ex quo ulterius sequitur, quod sicut artes Mechanicae sunt artes recte faciendi, grammatica congrue sine errore loquendi ; Rhetorica bene dicendi

Ita logica est ars recte intelligendi, disputandi, dividendi, definiendi etc: non quod per eam res ipsas sciamus et cognoscamus (hoc enim aliarum scientiarum munus est) sed quod modum, quo rectam rerum cognitionem consequamur, ostendat, veluti modus sciendi, instrumentum, organum, forma, et clavis reliquarum scientiarum; ex quo abunde patet eius necessitas ad easdem scientias, hoc ipso quod omnes velint, imo debeant bene ratiocinari, intelligere, cognoscere, discurrere, disputare, dividere definire etc:

Atque hanc ad omnes scientias tam necessariam artem, recto ordine discamus, more aliorum summulas praemittimus, quae nihil aliud sunt, quam elementaris quaedam ac brevis summa, seu compendium terminorum logicorum, et eorum, quae praelibari ad studium hoc ~~[illegible]~~ fructuose suscipiendum requiruntur: sicut enim artes omnes tam liberales quam illiberales v.g.: venatoria, gladiatoria etc: suos habent terminos artis, ac certos loquendi modos, ita etiam logica totaque Philosophia proprios artis suae terminos habet, modosque loquendi tironibus ante omnia scitu vel maxime necessarios. quos ut rite intelligas, intelligendum tibi prius est, quid et quadruplex sit operatio mentis.

Operatio itaque mentis in genere nihil aliud est, quam actus intellectus, cognitio, vel vitalis imago ac repraesentatio illius rei, quae cognoscitur ab intellectu et vocatur obiectum intellectus eo fere modo, quo aliquid obiicitur vel ponitur ante speculum, et obiectum speculi dicitur.

Triplex autem est operatio mentis, respondens scilicet triplici modo cognoscendi: prima est simplex apprehensio alicuius rei; 2da est enunciatio vel propositio; 3tia denique est argumentatio.

Prima mentis operatio fit, cum rem aliquam praecise intellectu apprehendis, quin aliquid de ea affirmes, neges, aut iudices, ut si apprehendis intellectu hos terminos: Deus, homo.

2da mentis operatio fit per iudicium immediatum quo de aliqua re aliquid simpliciter affirmas vel negas, ut si dicas: Deus est omnipotens.

3tia mentis operatio vocatur discursus similitudine fere a pedibus desumpta: sicut enim hi ex loco in locum imus, ita in discursu nostri intellectus ex una veritate vel pluribus per secundam operationem affirmatis, propter aliquam connexionem, quam inter eas agnoscimus, aliam veritatem inferimus. Sic si ex hac propositione: Deus est omnipotens infertur: ergo Christus est omnipotens, ultima haec propositio erit 3tia mentis operatio seu argumentatio, vel iudicium mediatum, quia non immediate, sed mediate tandem et ex discursu praecedenti infertur, intellectus enim per iudicium hoc procedens, Deus est omnipotens, ita fere discurrit: cum Deus sit omnipotens, et alia ex parte fides doceat Christum esse Deum, necessario sequitur Christum esse omnipotentem. idem dic de hac propositione: homo non est lapis, petrus est homo, ergo petrus non est lapis.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

Notabis tamen primo operationes singulas obnoxias esse multis imperfectionibus. 1ma obnoxia est ignorantiae obscuritati et confusioni, ut si videas herbam medicam non agnoscas eius virtutem, est ignorantia; si flagellum agnoscas per modum baculi invenisse est obscuritas. si apprehendas hominem esse qui talem et talem habet figuram externam, quin penetres aut agnoscas eius naturam erit confusio.

2da et 3tia mentis operatio praeter has imperfectiones obnoxiae etiam sunt incertitudini ac falsitati; quia saepe aliquid affirmamus, quod non ita se habet, et unum putamus deduci ex alio, licet non deducatur: unde ad tollendas has operationum imperfectiones datur Logica triplex modus sciendi per definitionem, divisionem et argu=mentationem. 1mus modus sciendi sive definitio tollit obscuritatem et ignorantiam, quia explicat essentiam et naturam rei. 2dus sive divisio tollit confusionem, quia totum clare dividit in suas partes. et 3tius sive discursus argumentatio ac syllogismus tollit incertitudinem ac falsitatem.

Notabis 2do quod definitio et divisio fiant tam in 1ma quam 2da mentis operatione: in 1ma si non addatur copula sive verbum nihil scilicet affirmando vel negando ut si mente concipio hanc definitionem: homo animal ratio=nale. si vero addo copulam vel verbum dicendo v. g.: homo est animal rationale: tunc fit in 2da mentis operatio=ne. discursus denique sive argumentatio fit tantum in 3tia mentis operatione, quae argumentatio, quia constat propositionibus tanquam suis partibus, et propositiones terminis,

Termini vocantur materia remota argumentationis, propositionis verò propinqua, et argumentatio vocatur ipsum compositum, ex materia remota et propinqua sive ipse Sylogismus: de quibus omnibus nos iam ita promissis ordine agemus, et quidem in prima disputatione de prima mentis operatione, sive terminis suppositione definitione ac divisione in 2da de 2da mentis operatione enunciatione scilicet, eiusque proprietatibus, et in tertia denique de Sylogismo. Deus adsit studiis nostris, nos verò omnia ad Deum eiusque gloriam referamus: quod si alicui studium hoc, ut omne initium grave e initio grave videtur, memor sit Apophtegmatis Aristotelici, quo aiebat: studiorum liberalium amaras quidem radices, fructus verò perquam dulces esse.

Disputatio Prima

De prima mentis operatione, sive terminis, definitione item et divisione.

Caput primum.

Quid sit terminus logicus.

Non est hic quaestio de termino latissime sumpto, prout idem est ac ultimum, sicut mors est terminus vitae, et montes vel fluvii fines ac termini regni vocantur: neque hic agitur de termino prout significat finem propositum, sicut Coelum v.g. dicitur esse terminus laborum, infernus reproborum etc. sed stricte accipitur tantum de termino Logico prout à Logica consideratur, qui ut bene intelligatur quid sit, breviter prius explicandum, quid sit propositio.